



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 130. Carolina Lusitaniæ Regis vidua hæres Regni Cyprii

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

Cardinalis S. Crucis, & Pontifex veni- Sæcul. XV  
entem maximo, quo potuit, honore ex- A.C. 1459.  
cepit, eique gladium & pileum de more  
inter solemnia Epiphaniæ benedictum  
dono dedit. Gobelinus, cuius solertiæ  
omnium horum notitiam in acceptis re-  
ferimus, nec de adventu Oratorum Ca-  
simiri Poloniæ Regis, nec de magnifico  
eorundem ingressu in Mantuanam Civi-  
tatem mentionem facit: ex aliis tamen  
Scriptoribus discimus, hosce Legatos  
persoluto submissionis, ac obedientiæ de-  
bito a summo Pontifice impetrasse, ut  
Porussi, qui ob defectionem a Cruciferis  
Equitibus anathemate devincti fuerant,  
absolverentur. Nihilominus obtinere  
haud poterant, ceteris omnibus etiam  
Oratoribus impense rem urgentibus, ut  
præfati equites, haud ita pridem Corin-  
tho a Mahomete II. occupata, ad Insu-  
lam Tenedos in Archipelago transfe-  
rentur.

§. CXXX.

*Carolina Lusitaniæ Regis vidua  
hæres Regni Cypri.*

Carolina Joannis Lusitaniæ Regis con-  
jux, cuius maritus ipsa consentiente, *Æn. Sylv.*  
& Helena propria ejusdem matre insti- *in Asia c. 97.*  
gante veneno extictus obiit, Procerum *Comment.*  
suas Ludovicum Sabaudum connubio *Pii II. lib. 7*

Rr 5

sibi

Sæcul. XV. sibi sociavit; Helena autem paucō ex  
A.C 1459. post tempore Anno millesimo quadrin-  
gentesimo quinquagesimo octavo in men-  
se Aprili humanis rebus erepta fuit, nec  
ipse Cypri Rex Carolinæ Pater plusquam  
tribus mensibus superstes vixit. Caro-  
lina igitur utroque parente orbata, uni-  
ca eorum proles in Regno Cypri, præter  
omne in controversiam successit, ac paulo  
post cum solium suum sat firmis inniti

*Naucler vol.* fulcris crederet, trium Regnum Cypri,  
*gener. 49.* Jerosolymæ, & Armeniæ Regina die

*Bos. lib. 7.* prima Septembbris ejusdem anni consue-  
*tom. 2.* to ac solemni ritu coronata est. Verum

haud diurna fuit pacata sceptri posses-  
sio. Jacobus enim Archiepiscopus Nico-  
siensis Frater ejus Nothus, juvenis viginti  
circiter annos natus, temerarius, & ad  
quævis audenda proclivis non tam Re-  
ginæ sceptrum invidebat, sed potius ob-  
denegatam sibi illam coronandi provin-  
ciam indignationem concipiebat, unde  
regnum commovere non destitit. Cum  
vero novas identidem turbas suscitaret,  
Regni Proceres eum capere parabant:  
ast ipse re comperta ad Sultanum Ægy-  
pti se recepit. Hæc Jacobi fuga Ludo-  
vicum Sabaudum Carolinæ maritum  
non modice sollicitum reddidit; quare  
ad præsentis anni initium, cum interea  
in Cyprus rediisset, primas eo curas in-  
tendit, ut confessum post acceptam coro-  
nam

nam Oratores suos ad Sultanum Ægypti, Sæcul. XV.  
 cui jam olim Cypri Regnum Carolinæ  
A. C. 1459.  
 Avus vectigal reddidit, cum muneribus  
 & consueto tributo mitteret, additis  
 quoque mandatis, ut Reginæ suæ con-  
 jugis jura tuerentur contra Jacobum, qui  
 a Sultano Ægypti jamjam Cypri Re-  
 gnum obtainuerat.

## §. CXXXI.

*Sultani Opera Regnum Cypri  
 Jacobo assertum.*

Legati in Ægyptum ad Sultanum ap-  
 pulsí, tanto rationum pondere Regi-  
 næ suæ jura vindicabant, ut Jacobus vix  
 non omni spe sua excidisset, nisi super-  
 venientes Mahometis II. oratores, quos  
 Jacobus opportuna dexteritate sibi devi-  
 cerat, Sultanum convenissent, & Impe-  
 ratoris sui nomine arroganter comminati  
 fuissent, cruentum ipsi bellum a Maho-  
 metanis illatum iri, nisi Jacobum, quem  
 semel Regem salutasset, in Regni posse-  
 sione firmaret, & foedus cum Gallis ini-  
 tum dissolveret. Si vero, promissa Ja-  
 cobo servaret, classemque pararet in Cy-  
 prios, Mahometem quoque aliam instru-  
 turum in Rhodios Equites, eorumque  
 Insulam pleno jure Sultano cessurum  
 spondebant. Ast aut falli, aut Sul-  
 tanum fallere volebant hi Oratores; cum  
 enim